



Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen

...

... Quadragesimale, Das ist ... zweyfache Predigen/ Für alle Sonntäg/
Mittwoch und Freytäg ... in der Fasten ... Erster Theil

Barcia y Zambrana, José de

Augspurg, 1719

Approbatio Reverendissimi Patris Magistri Emanuelis De Filguera Clerici
Minoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76477)



APPROBATIO

REVERENDISSIMI PATRIS MAGISTRI
EMANUELIS DE FILGUERA CLERICI MINORIS.

M. P. S.



Ussu Altitudinis vestra legi cum omni possibili attentione, & cura librum cujus titulus: Quadragesima Sermonum Doctrinalium: Quos composuit Doctor Don Josephus de Barzila, & Zambrana Insignis Ecclesie Collegiatae in S. Monte Granatae Canonicus, & Sacrae Scripturae ibidem Professor Scholasticus. Atque hic ego ut ingenuè loquar, in libro isto deprehendi ea, quae in alijs ejusdem Instituti non facile inveni. Nam in grandi quodam volumine aliquid saltem dicere omnium est, in multis multa dicere paucorum, at in paucis omnia dicenda dicere, id singularis est prerogativa, & inter magna ingenia Phanix. Mellis gutta idem sapit, quod totus favus: Sancti Maximi gnomē est. Apelles etiam in una linea penicilli sui valorem expressit: sic & author istius libri in paucis sermonibus singularem calami sui vigorem abundè exhibet, atque omnium Evangelicorum Orationum stellam Polarem, sanctissimorum morum ideam, & melioris eloquentiae thesaurum se constituit: in argumentis extraordinariam quandam affert notitiam, neque etiam in sacris textibus omne non punctum tulit, atque per omnia sublimissima praedicationis munus implet. Humili suade, qua ad bonos mores inducit, praecelsa politiae principia argutè novit copulare: & dum quidem omnem ornata eloquentia numerum implet, facilem nihilominus affert intelligentiae claritatem: in sermocinatione super Evangelijs planè mirabilis, in ponderandis verò morum circumstantiis planè est utilissimus: adductis observationibus politicis auditorem mirum in modum erudit, doctrina verò selectissima efficacitate omnino persuadet, atque ita ad persequendum id, quod in virtute solidum est, inducit verbis planè suavissimis, quorum auditu sicuti sensus quidem delectatur, ita animus ingenti utilitate perfunditur: id quod in Davidici carminis suavitate contemplatus est S. Augustinus: Ut dum suavitate carminis, inquit, mulcetur auditus, divini sermonis pariter utilitas inferatur. Caterum si ea, quae in libro hoc

Homil. 522

In psal. 12
in Prolog.

C E N S U R A.

Lib. 22.
cap. 6.

Tom. 1.
cap. 24.

dicuntur penitus considero, eum in operibus gratia ordinem, modumque teneri invenio, quem Plinius circa providentiam in operibus natura observavit; quod nimirum, ut salubris medicina horrorem quodammodo eximat, ejus amaritudinem sapient; consilio floribus obvelaverit. Pinxit remedia in floribus, ait Plinius, visque ipso animos invitavit etiam delicijs auxilia permiscens. Ita ille acidas reprehensiones corrupto appetitui nostro sub pulcherrimis Rhetorica coloribus ingerit. Est itaque liber iste, haud secus atque alij omnes, quos author cum tanto plausu edidit, dulcis quadam violentia intellectui illata; latet etenim in ipsius periodis spiritus tam fortis, & vehemens, ut dici de illo id possit, quod Vincentius Lirinensis dixit de tribus prerogativis Tullij; quod scilicet illos, quos non rapit sententiarum suarum vivacitate, considerationis energia protendat, & si quos rationum efficacia non obstringit, styli eloquentia cogat, & argumentorum pondere convincat: est enim revera qualibet propositio vinculum quoddam ad virtutem trahens, singulaque verba singula adversus vitia victoria, & quavis probatio contra humanum sensum triumphus. Tanta nescio qua rationum densitate ejus oratio conferta est, inquit Vincentius, ut ad consensum sui quos suadere non potest, impellat, cujus quot pene verba, tot sententia; quot sensus tot victoriae. Et hoc ipsum est, quod me movit, ut librum hunc ingenti cum delectatione legerem; quadam autem omnino ter legi: & ita ut Graecis in paræmia est: Ter pulchrum, quod ter lectum placet. Et verò doctrina, ingenium, stylus, & eruditio ejus plurima me docuerunt, eamque in me quoque estimationem excitaverunt, quam de Oratoris hujus operibus omnes passim habent. Est siquidem Magnus Doctor tam in scholasticis, quam Moralibus & Scripturis, & praecipue in eo, cujus plus interest, spiritali nempe eruditione animarum: quarum tot doctrinâ, & exemplo suo ad Dominum reduxit, atque ad divinam Majestatem, & debitam legis observantiam peccatores tantos convertit, ut etiam ad deserta cella mea exiverit sonus eorum. Quorum intuitu judico, vestram altitudinem petitam licentiam concedere posse, imò, uti est eorum, qua divinum servitium concernunt, adeo sollicita, etiam instanter imperare, ut excudatur. Madriti 30. Martij Anno 1685.

Emanuel de Filguera ex Clericis
Minoribus.

CEN-